

improbans concludit: *quae potius corruptela quam consuetudo dici potest, quum sit contra Rubricam Missalis et Caeremonialis*. Et haec verba, quibus includitur etiam Dignitas, si ad eam celebrare spectat, consonant cum aliis, quae superius allata sunt ex lib. 2. cap. 30. Caeremonialis Episcoporum desumpta.

Neque quis dicat posse quemcumque Sacerdotem a Celebrante diversum hanc actionem peragere, quemadmodum et quicumque sacerdos, qui non sit celebraturus, potest Aquam eo die benedicere: ex hoc sane illud non sequitur; nam praeterquam quod, ut vidimus ex Rubrica Missalis et ex Caeremoniali, Sacerdos celebraturus Clerum et Populum debet aspergere, ipsa Rubrica innuit, aquam, qua aspersio fit, a quocumque Sacerdote a Celebrante distincto posse benedici, quod de eo, qui aspergit, non innuit, neque inuere potuit semel ac statuerit ab ipso Celebrante faciendam esse aspersionem. Siquidem haec de facienda tantummodo aqua benedicta habet: *Die Dominico in Sacristia praeparato Sale, et Aqua benedicenda Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus*: quae verba, quum agitur de aspergendo cum hac Aqua Clero et Populo, non habet. Liberum itaque non est, quemadmodum in benedicenda Aqua, sic et ad Clerum et Populum aspergendum alium a Celebrante distinctum Sacerdotem deputare, sed Celebrantis, quicumque ipse sit, proprium est munus. Qui aliter vel sentit vel agit, contra Rubricam agit. Hinc nisi quis velit inobedientis notam consulto incurrere, Missalis et Caeremonialis praescripto debet conformari, et a contraria, si quae alicubi est, consuetudine recedere, quae a Sacra Rituum Congregatione corruptela declarata jamdiu fuit, et novitatem in Sacris Ritibus induceret.

Unum hic addendum non abs re erit, ut hujus ritus antiquitas innotescat. Haec Aquae cum Sale mixtae benedictio, et Populi Christiani cum ea aspersio juxta Auctores non paucos ab ipso Apostolorum tempore erat in usu, praecepta autem fuit Ecclesiae Saeculo secundo vix inito ab Alexandro Primo, ut constat ex Libro Pontificali, et ex multis Auctoribus de Ecclesiae Ritibus pertractantibus Rhabano Mauro. Walfrido Strabone, Micrologo: hinc Rubrica Missalis hanc praecipiendo aspersionem, velustissimum immo priscum ritum servandum praecipit, et de hoc ritu extat antiquus Canon Concilii Namnetensis apud Burchardum Wormaciensem lib. II. cap. XII. in quo legitur: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum sollemnia aquam benedictam faciat in vase nitido tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur*. De antiquitate hujus ritus semper ab Ecclesia retenti, ut nempe Presbyter ipse die quolibet Dominico per Ecclesiam procederet, et Populum Aqua benedicta aspergeret, edocent vetusta Caroli Magni Capitularia, ubi lib. V. cap. 220 praecipitur: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum psallentia circumbeat Ecclesiam suam cum Populo, et Aquam benedictam ferat*.

Ad dubium: An Episcopus tolerare possit quod diebus Dominicis ante Missam Conventualem non ipse Celebrans, sed inter Canonicos primus Aquae lustralis efficiat aspersionem: idque pariter fiat Sabbato S. quoad aspersionem cum aqua recenter benedicta?

Emi. et Rmi. P.... respondendum duxerunt:

„Negative ad primam partem: quoad secundam servandam esse consuetudinem.“

Atque ita S. R. C. rescribere rata

est, propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 5 die 29. Nov. 1856.

g) Oratio.

Consuetudinem, ut Canonici aspersionis Officium peragentes, non ante altare sed prope sedem preces et orationem cantent, ab Ecclesiae Cusentinae praxi revocandam fore. n. 1992 die 19. Julii 1659.

4) In dom. Palmarum.

In dominica Palmarum, Episcopo earundem benedictionem solemniter celebrante, non est facienda hujusmodi aquae benedictae aspersio. n. 3674 ad 3 die 11. Febr. 1702.

5) In Eccl. non parochialibus.

Ad dubium: an in Ecclesiis non parochialibus liceat aquam benedicere et aspersionis caeremoniam dominicis diebus peragere? S. C. „plurimum de prudentia Ordinarii confisa ejusdem arbitrio indulgendum dimisit. n. 2017 ad 1 die 22. Nov. 1659.

6) Modus.

Ad dubium: In benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum dicit Rubrica Missalis: *Ter aspergit... aqua benedicta... ter adolet incenso*; et sic legitur in Caeremoniali Episcoporum. Item Rituale Romanum in Rubrica de exequiis dicit: *circumiens feretrum... aspergit corpus defuncti, et corpus incensat, ut asperserat*: Similia leguntur in Caeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur, an praedictae aspersiones, sicut et aspersio, quae fit diebus Dominicis, faciendae sint cum Aspersorio per modum Crucis, ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione Mulierum post partum, an alio modo. Similiter iis in Locis, sicut et in thurificatione Sanctissimi Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Altaris, et Evangeliorum

in Missa solemniter nil dicit Rubrica, an tres thuribuli ductus debeant esse simplices, an duplicati. Quaeritur: quomodo facienda sit tam aspersio, quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria? S. C. resp.:

„Serventur Rubricae et praxis communis.“ n. 4669 ad 38 die 12. Nov. 1831.

ASPERSIO CUBICUL. MONIALIUM.

Ad dubium: an sit permittendus Confessariis Monialium civitatis Burgi tam exemptarum quam Episcopo subiectarum fer. 3. majoris hebdom. ingressus intra septa Monasteriorum ad aspergendum ipsarum Monialium Cubicula? S. C. resp.: scribendum esse Episcopo, quod non permetteret. n. 3514 die 4. Apr. 1699.

ASPERSORII PORRECTIO FIT

1) Canonicis ab Episcopo.

Episcopum debere aspergere immediate Capitulum, nisi tunc adsit alius Episcopus, et postea Vicarium et Magistratum saeculare. n. 1588 die 18. Maji 1647.

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus, debet aspersionem incipere per eum, a quo accepit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

2) Canonicis et Dignitat. a Sacerdote.

Vd. Capitulum (associat).

Ad dubium: an et a quo et quomodo sit danda aqua lustralis Capitulo et Canonicis Colleg. Montis Callerii Taurin. Dioec. processionaliter acce-

dentibus ad Eccles. B. V. M. de Testona? S. C. resp.: Dandam esse aquam lustr. per monachum sacerdotem seu Clericum cotta indutum *per aspersionem* cum aspergillo Capitulo et Canonicis processionaliter accedentibus, Sacerdoti vero pluviali induto *per contactum*. n. 3530 ad 1 die 12. Sept. 1699.

Ad dubium: An, et a quo, et quomodo danda sit aqua lustralis Capitulo et Canonicis S. Stephani Brachiani processionaliter accedentibus ad Ecclesiam S. Mariae Novellae Brachiani?

Et S. R. C., P. Augustinianis tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit:

„Detur Decretum in Taurinen. 12. Sept. 1699.“

Et ita decrevit, ac etiam in causa Sutrina servari mandavit. n. 3880 die 27. Julii 1715.

Ad dubium: An Magister Caerem. Rmi. D. Can. Dec., eidem ad Eccles. Colleg. S. Michaëlis in Foro, in qua ipse est prima Dignitas, Canonicis sequentibus accedenti pro re divina peragenda in Pontificalibus, seu pro Assistentia Missae, ac Vesperis solemnibus, teneatur Aspersorium in pilam Aquae benedictae immergere, exhibere Canonico digniori ejusdem Collegiatae, ab eoque illud, exacta per Canonicum Decanum aspersione, recipere, seu potius haec praestare teneatur Magister Caer. Collegiatae?

Et Emi. ac Rmi. P... rescribendum censuere:

„Juxta Votum Magistri Caer.:“ nimirum:

„Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.“

Atque ita rescripserunt, servarique mandarunt. n. 4978 ad 3 die 7. Decembris 1844.

3) Capite detecto.

Thurificationem et Aspersorium ca-

pite *detecto* esse ministranda. n. 1494 ad 3 die 16. Apr. 1644.

4) Cardinali Legato.

Aspersorium Emmo. Legato non ab Archidiacono seu aliis de Capitulo cujuscunque Ecclesiae porrigi debere, sed a digniore illius Ecclesiae, ad quam Emmus. Legatus accedit. n. 946 die 11. Febr. 1632.

5) Cardinali Titulari.

Ad dubium: 1. An, accedente Emo. D. Card. Titulari ad Ecclesiam S. Pantaleonis in die festo ejusdem Sancti tempore, quo Canonici S. Eustachii capitulariter existunt in eadem Ecclesia, vel intersunt Vesperis et Missae cantatae, Canonici debeant excipere eundem Cardinalem Titularem, et pertineat ad digniorem de Capitulo et Canonicis porrigere aspersorium ipsi Emo. Titulari, vel potius ad R. P. P. Matris Dei Scholarum Piarum? et quatenus affirmative ad primam partem:

2. An idem servandum sit quoad ceteros Emos. D. Cardinales ad praedictam Ecclesiam pariter dicto tempore accedentes?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. „Negative quoad primam partem, et affirmative ad secundam.“

Ad 2. Satis provisum in primo.

Et ita decrevit, et servari mandavit. n. 3879 die 6. Julii 1715.

6) Episcopo.

a) In Ecclesia Cathedrali.

Vd. *Suffragan.* (access.)

Aspersorium Episcopo offerre ad ostium Ecclesiae *Cathedralis* primam debere Dignitatem; eaque legitime impedita, illud ipsum munus subire debere aliam Dignitatem aut personam,

quae dignior ex Capitulo aderit. Legitimi autem impediti causa non censetur, quod aliquis in choro sit occupatus nisi in sacris vestibus ad missam majorem celebrandam sit indutus. — n. 21 ad 5 et ad 6 die 23. Mart. 1592.

Aspersorium cum aqua benedicta ministrare Episcopo Ecclesiam ingredienti ad primam Dignitatem seu primum Canonicum et alios successive pertinere. n. 274 die 16. Julii 1605; n. 792 die 20. Dec. 1628; n. 1206 die 10. Martii 1640; n. 1650 ad 4 die 28. Septbr. 1652; n. 4064 ad 14 die 31. Aug. 1737.

Donec distinguantur Praebendae... convenit, ut a prima Dignitate vel a Canonico, qui primum locum in Choro et processionibus obtinet et vicinior Episcopo erit, Aspersorium ministretur et Navicula... Quando vero Praebendae erunt distinctae, tunc omnino a primo presbytero, ut dicitur in Caeremoniali, erit agendum. n. 351 ad 5 die 19. Maji 1607.

Episcopo Ecclesiam Cathedrali ingredienti aspersorium porrigi debere per digniorem ipsius Ecclesiae tunc praesentem. n. 1361 die 8. Febr. 1642.

Jus porrigendi et dandi aspersorium Episcopo accedenti ad Cathedrali private in omnibus functionibus spectare ad digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium. n. 2336 die 31. Julii 1665.

Jus aspersorium porrigendi Episcopo *cum osculo manus* spectare ad digniorem de Capitulo et Episcopus non debet uti chirothecis, nisi in functionibus pontif. n. 3551 ad 13 et 14 die 13. Mart. 1700.

Episcopo accedenti ad Cathedr. pro celebranda missa privata tenentur Canonici porrigere aspersorium. n. 3886 ad 4 die 11. Julii 1716.

Vd. *Canonici assist. Episcopo in habitu canon.* (decr. n. 4317.)

b) In Eccl. Colleg. et paroch.

Vd. *Incensum; Aspersorii porrectio etc.* (Praes. Capitulo Cathedr.)

At in alia Ecclesia *Colleg.* aspersorium esse porrigendum a *Praeposito* ejusdem Ecclesiae vel ab eo, qui in illa digniorem personam gerit, ut tam Ecclesiae quam personae porrigenti honor tribuatur. n. 21 ad 5 et ejusd. infra 6; die 23. Mart. 1592.

Episcopo, dum ad Ecclesiam Colleg. s. Venantii una cum Canonicis et Capitulo Ecclesiae Cathedr. accedit, Aspersorium a Priore s. Venantii porrigendum esse. n. 372 ad 2 die 15. Mart. 1608; n. 3340 die 4. Sept. 1694.

Ad dubium: An Rector Ecclesiae parochial., qui curam per Capellanos exercet, teneatur Ordinarium cum Rochetto et Mozzetta ad illius Ecclesiam accedentem ad valvas Ecclesiae recipere cum *superpelliceo, stola et aspersorio*? S. R. C. resp.: „Teneri.“ n. 660 die 21. Nov. 1626.

Aspersorium Ordinario Loci aliquam Ecclesiam suae Dioecesis seu jurisdictionis quacunque de causa ingredienti non ab Archidiacono seu aliis de Capitulo cujuscunque Ecclesiae porrigi debere, sed a digniore illius Ecclesiae, ad quam Ordinarius accedit. n. 946 die 11. Febr. 1632; n. 1464 ad 1 die 11. Julii 1643.

Aspersorium porrigi debere a digniore illius Ecclesiae, ad quam Archiepiscopus accedit, non autem a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis. n. 948 ad 2 die 14. Febr. 1632; n. 1006 ad 2 die 16. Septbr. 1634; n. 4137 die 19. Jan. 1743.

Non ad digniorem Cathedralis, sed ad digniorem Ecclesiae Annuntiationis spectare Episcopo aspersorium porrigere. n. 1357 die 11. Nov. 1641.

Episcopo extra suam Cathedral. in aliam Ecclesiam suae Dioecesis sive Saecularium sive Regularium ingre-

dienti, aspersorium porrigi debere per digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et nullo modo per Dignitates aut Canonicos Cathedr. illum associantes. n. 1366 die 8. Febr. 1642; n. 2687 die 14. Apr. 1674; n. 3174 ad 1 die 25. Sept. 1688.

Spectare ad digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, semper et quocumque modo incedit, porrigere eidem Episcopo aspersorium. n. 2863 die 9. Julii 1678; n. 1731 die 19. Sept. 1654.

Porrigere aspersorium Archiepiscopo ingredienti Ecclesiam Parochiae spectare ad digniorem ejusdem Ecclesiae et non ad Dignitates vel alios Canonicos Metropolitanæ. n. 1710 die 20. Junii 1654; n. 3984 die 9. Apr. 1729.

Porrectionem aspersorii in Ecclesiis Parochialibus, dum contingit ad eas accedere Episcopum, spectare ad primam Dignitatem vel digniorem Canonicum illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedet. n. 2440 die 9. Junii 1668.

Ad dubium: an Episcopo ad Ecclesiam parochialem civitatis, in qua prius accesserunt Capitulum et Canonici canonicalibus vestibus induti, cum cruce pro peragenda processione ab Ecclesia parochiali ad Cathedralis, parochus ipsius Ecclesiae vel unus ex dictis Canonicis porrigere debeat aspersorium? S. C. resp.: Spectare ad digniorem Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, et sic ad Parochum. n. 2458 die 12. Jan. 1669.

Jus deferendi aspersorium in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum parochialium spectare ad Parochos et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677.

Ad relationem: Tertia rogationum die, cum Episcopus processionaliter procedit ad Collegiatam S. Mariae Cortonæ, Canonici non occurrunt ipsi ad portam, sed tantum illum excipiunt

circa medium Ecclesiae, nec ipsi porrigit aspersorium dignior Canonicus sed simplex Cappellanus? S. C. resp.: Episcopo debet obviari ad januam et aspersorium est porrigendum a digniori. n. 3597 ad 12 die 10. Sept. 1701.

Aspersorium porrigendum esse a rectore Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit. n. 4573 die 23. Sept. 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Praeter plurima Decreta, quae legi possunt in hac Collectione, et statuunt, Aspersorium tradendum Episcopo a digniore Ecclesiae, ad quam accedit: etiamsi a suae Cathedralis Canonicis sit associatus. Praestat insuper S. Romanae Rotae decisionem asferre. Orta controversia inter Rmum. Capitulum Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, et Praepositum Collegiumque Sixtinum apud Scalas Sanctas super jure excipiendi Summum Pontificem in Scalas Sanctarum accessu, eidemque praesentandi Aspersorium; contendente Capitulo sibi tantum, non Praeposito, et Collegio Sixtino competere; datoque S. Rotae Auditorio ad decidendum sequenti Dubio: *An et a quo excipiendus Summus Pontifex in accessu ad Scalas Sanctas?* prodiit decisio, *Summum Pontificem excipiendum a Praeposito et Collegio Sixtino: Ita in Romanae jurium honorificorum super bono jure, 13. Martii 1763 coram Herreris, et in Confirmatoria 13. Mart. 1765.* Ratio autem decisionis evidentissime patet. Cum enim constiterit, quod dominium et jurisdictio quoad Scalas Sanctas ad Praepositum et Collegium Sixtinum privative spectat, iisdem etiam debetur jus honorificum: Nam, ut habetur in decisione confirmatoria: *excluso Capitulo domini et jurisdictione*, facile patet jus excipiendi Summum Pontificem soli competere Praeposito et Collegio; vanumque, et per absurdum esse in aliena

Ecclesia de majori dignitate contendere. In hac enim materia, qui dignior est in sua Ecclesia, is reliquos omnes inibi vincit et expellit. Nam quisque domi suae Rex est et Imperator et nemini cedere tenetur.

c) In Eccl. Coll. et par. praes. Capit. Cath.

Vd. *Aspers. porrectio in Eccles. Monach.* (decr. n. 4934).

Aspersorium porrigi debere per digniorem ex Capitulo Cathedralis in Ecclesia Colleg., *quando capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur.* n. 1658 ad 3 die 18. Jan. 1653.

Nequaquam ad Vicarium general. ratione officii sed ad primam Dignitatem vel successive ad alias dignitates aut seniorem Canonicum, privative quoad ipsum Vicarium, spectare jus ministrandi aspersorium Episcopo in ingressu Ecclesiarum, *praesente Capitulo Cathedralis indumentis canonicalibus redimito.* n. 1753 die 29. Maji 1655.

Aspersorium porrigendum esse Episcopo a prima Dignitate Ecclesiae tam regularis quam saecularis, ad quam accedit, etiamsi adsit aliquis Canonicus vel Dignitas Cathedr., *dummodo non adsit capitulariter nec cum indumentis canonicalibus;* tunc enim hujusmodi munus ad primam Dignitatem Cathedr. spectare. n. 2918 ad 2 die 6. Apr. 1680; n. 3174 ad 2 die 25. Septembris 1688.

Ad dubium: an liceat Capitulo Colleg. S. Gaudentii... Episcopo ad januam Ecclesiae Aspersorium praesentare et comitari ad altare, etiamsi Episcopum processionaliter praecedant Canonici Cathedral., inhibitione Episcopi et aliis quibuscumque non obstantibus: S. C. resp.: Quoad porrectionem aspersorii, affirmative; quoad associationem, negative. n. 3340 die 4. Sept. 1694.

Decreta authentica.

Ad dubium Capituli Cath. Castelli: an et a quo in actu ingressus ad Ecclesias priorales et parochiales sit porrigendum aspersorium Episcopo incedenti processionaliter in diebus Rogationum seu alia quavis occasione simul cum Canonicis Cath. veste canonicali indutis et capitulariter procedentibus? S. C. resp.: *Dilata* et per modum provisionis servetur constitutio Synodalis. n. 4416 die 27. Apr. 1784.

Tam in associatione Episcopi quam in processione praecedentiam deberi et locum digniorem prope Episcopum Canonicis Cathedr.; receptionem vero spectare ad Canonicos Collegiatae. n. 4108 ad 6 die 21. Jan. 1741.

SORANA.

Juxta communem praxim, dum ad Collegiatam Ecclesiam S. Restitutae Civitatis Soranae accedit Rmus. Episcopus, sive ut S. Solemniis assistat, eum associant Capituli Cathedralis Canonici, sed vel Praepositus, vel Senior Collegiatae ipsius Canonicus Episcopo ingredienti Aspersorium porrigit cum aqua benedicta. Verum quum in praesentiarum Capitulum Cathedralis jus istud, Aspersorium in casu Episcopo porrigendi, sibi vindicare contendat; Praepositus ipse veluti prima dignitas Ecclesiae Collegiatae, et Canonici omnes S. Restitutae S. R. C. humillime rogarunt, ut declarare dignaretur; num juxta etiam novissimas Ordinariorum Sanctiones, vel Praepositus vel dignior Canonicus Collegiatae ipsius Ecclesiae perseverare debeat in jure porrigendi Aspersorium Episcopo ad Collegiatam ipsam accedentem, aut potius jus istud competat Cathedralis Ecclesiae Capitulo Episcopum comitanti? Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitibus, audita relatione ab infrascripto Pro-Secretario facta juxta pluries decreta, rescribendum censuit et definiendum: „Spec-

tare ad Dignitatem, seu Seniore[m] Capituli Collegiatae.“ n. 5168 die 10. Jan. 1852.

SORANA.

Quidam Canonicus Cathedralis Soranae S. R. C. exposuit, in Civitate Sorana non tam facile occurrere, ut Cathedralis Capitulum associet capitulariter Rmum. Episcopum ad quamcumque Ecclesiam accedentem, nam ut plurimum Capitulum ipsum excipit Episcopum dum Ecclesiam ipsam ingreditur. Quum itaque ipse Canonicus contendat quod ea occasione jus Aspersorium porrigendi Episcopo ingredienti competat digniori ex Canonicis, minime vero Ecclesiae Rectori, S. ipsam C. rogavit, ut decernere dignaretur, quid in casu exequendum, ne jura Cathedralis Capituli vel in minimo laedantur.

Et S. ipsa C. ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu ad relationem subscripti Pro-Secretarii perpendens in similibus per innumera Decreta jus porrigendi Aspersorium Episcopo ingredienti cum Cathedralis Capitulo, vel in aliena Ecclesia excepto a Capitulo ipso capitulariter congregato, tributum fuisse Rectori Ecclesiae ipsius, ac proinde denegatum Canonico digniori; hinc idem servandum declaravit in Ecclesiis quibusvis Soranae Dioecesis.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. n. 5169 die 10. Jan. 1852.

d) In Eccles. non paroch.

Episcopo accedenti ad Ecclesiam B. M. de Succursu, sita intra limites parochiae Insulae, sejuncta tamen a Parochiali, porrigendum est aspersorium a Cappellano, non a paroco. n. 3874 ad 3 die 24. Novbr. 1714; n. 3937 die 3. Febr. 1720.

e) In Eccles. Confraternitatis.

Ad dubium: an Episcopo accedenti

ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a paroco, in cujus territorio sunt sitae dictae Ecclesiae? S. C. resp.: *Negative.* n. 3670 ad 24 die 12. Jan. 1704.

f) In Eccles. Monachorum.

Aspersorium Episcopo in Ecclesiam Fratrum Servitarum ingredienti esse porrigendum per digniorem illius Monasterii, non autem per aliquem ex Canonicis Episcopum associantibus. n. 1557 die 14. Junii 1646; n. 3024 ad 1 die 24. Julii 1683; n. 3950 ad 1 et 2 die 11. Julii 1722.

Procurator gener. Camaldul. admo- neatur, ne audeant Monachi recusare Episcopo accedenti ad eorum Ecclesiam aspersorium in ingressu porrigere. n. 2070 die 24. Julii 1660.

Ad relationem Episcopi, ut in Ecclesia Cassinensium, in qua mos est terminandi *processionem Rogationum*, a solo Curato exceptus fuisset contra consuetudinem usque adhuc servatam cum suis antecessoribus, qui ab Abbate et Monachis excipi consueverunt, S. C. resp.: ut Abbas et Monachi hujusmodi obsequia Episcopo praestare in futurum non ommittant. n. 2168 die 3. Junii 1662.

Accedente Archiepiscopo Ravenat. ad Ecclesiam s. Vitalis una cum Capitulo Metrop. ad exercenda Pontificalia debet Abbas s. Vitalis porrigere aspersorium immediate Archiepiscopo, non autem Archidiacono vel alteri de Capitulo Metrop., qui illud porrigat Archiepiscopo. n. 2317 die 21. Mart. 1665; n. 2374 die 26. Junii 1666.

Porrigere Aspersorium Episcopo ingredienti Ecclesias Regularium spectare ad Regulares. n. 2907 die 16. Dec. 1679.

Canonicis Cathedralis Fani in publicis processionibus nempe in Lytaniis

maj. cum toto Clero saeculari et regulari *transeuntibus* per Ecclesiam Regularium s. Salvatoris Abbas debet porrigere aspersorium Episcopo et non Canonicus celebrans indutus paramentis sacerdotalibus. n. 2951 die 7. Jun. 1681; n. 3018 die 25. Mart. 1683.

Prior... Congreg. s. Philippi N. Placent. potest Episcopo vel Magnatibus accedentibus ad Oratorium porrigere aspersorium independentem a paroco. n. 3864 ad 3 die 10. Mart. 1714.

Episcopo visitanti Ecclesiam parochialem Monasterii s. Mercurialis tenetur ejusdem Abbas indutus *cotta, stola et Pluviali* obviam ire cum aliquibus Monachis usque ad januam Ecclesiae, ibique eum excipere, praebere aspersorium, *eundemque thurificare.* n. 4036 ad 1 die 20. Junii 1735.

PATAVINA.

Idibus Junii Solemnibus recurrentibus S. Antonii Patav. ad Ecclesiam Ordinis Min. S. Francisci Conventualium in Civitate Patav. accedere assolet Rmus. Patav. Ep. in publica forma Pont. Missam celebraturus comitante Cathedralis Capitulo canonicalibus vestibus amicto, et ab immemorabili ad fores ipsius Ecclesiae Religiosa illa Conventualium Familia Praelatum excipit, et dignior Coenobii Pater eidem Episcopo ingredienti Aspersorium porrigit cum Aqua benedicta. Immemorabilis hujusmodi consuetudo praesenti hoc Anno servari nequivit, nam Magister Caeremoniarum indixit, ut prae digniore Patrum Aspersorium Episcopo porrigeretur a digniore Capituli. Cui quidem praescripto, ne scandala orirentur, tunc cessit Religiosa illa Conventualium Familia, sed ne jus acquisitum, et immemorabilis consuetudo laedantur R. P. Fr. Franciscus Peruzzo Exmagister Provincialis S. R. C. humillimis adiens precibus rogavit, ut sequens Dubium declarare dignaretur, nimirum: An Episcopo in

forma publica ingredienti Ecclesias Regularium ad Sacra peragenda una cum Capitulo Cathedralis canonicalibus indumentis amicto, jus competat porrigendi Aspersorium cum Aqua benedicta Digniori Familiae Religiosae, an vero Digniori Capituli? Et S. eadem C. ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitibus coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature diligenterque examinata, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta porrigere in casu Aspersorium Episcopo ingredienti spectare ad Patrem Quardianum.“ n. 4934 die 11. Sept. 1841.

g) In Eccles. Monialium.

Vd. *Incensum.*

Jus deferendi aspersorium... in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum Monialium spectare ad Confessarios et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis. n. 2809 die 16. Jan. 1677. (Vd. *Aspers. porr. Episc. in Eccl. Monachorum. decr.* n. 1557.)

h) Osculum.

Canonici, Praepositi etc. in aspersione porrectione manum Episcopi deosculari debere. n. 1602 ad 2 die 23. Jan. 1649.

Jus porrigendi aspersorium cum osculo manus spectare ad digniorem de Capitulo. n. 3551 ad 13 die 13. Mart. 1700.

7) SS. Papae.

Ingrediante SSmo. D. N. aliquam ex tribus Patriarchalibus Urbis Ecclesiis, aspersione aquae benedictae non a gubernatore ejusdem Urbis sed a Vicario Ecclesiae ejusdem aut eo absente, ab antiquiore dignioreque Canonico praebatur. n. 117 die 9. Mart. 1597.

8) Praelato Governatori.

Ad dubium: an Praelato Gubernati-

tori civitatis accedenti ad aliquam Ecclesiam sive regularem sive saecularem cum Magistratu sive sine illo et in habitu praelatio sufficiat ministrari aquam bened. ab aliquo sacerdote vel alio ministro per simplicem contactum aspersorii vel potius debeat porrigi aspersorium ad hoc, ut Praelatus se ipsum et alios signet etiam per aspersionem? S. C. resp.: quoad primam partem attenta consuetudine, affirmative; et quoad secundam: negative. n. 3689 die 7. Junii 1704.

ASPERSORIUM.

1) Episcopus porrig. Laicis.

Vd. *Magistratus* (praes. etc. decr. n. 4612 ad 6).

2) Laicorum.

Vd. *Laici* (associatio).

Duci civitatis Asculi in ingressu ad Ecclesias saecul. et regul. civitatis non est porrigenda aqua benedicta ab aliquo Ministro ecclesiastico cotta induto. n. 3956 ad 3 die 23. Jan. 1723.

Sacerdos cotta indutus advenientem magistratum ad Ecclesiam Colleg. Montis Cassiani in janua Ecclesiae aqua aspergat. n. 4338 ad 2 die 16. Dec. 1766.

3) Quibus primum porrig. ab Episcopo?

Episcopus aspersionem per digniorem incipere debet. n. 3551 ad 15 die 13. Mart. 1700.

Quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis et Dignitatibus associatus debet aspersionem incipere per eum, a quo accipit aspersorium. n. 3551 ad 16 die 13. Mart. 1700.

4) Quibus non porrigendum?

Non convenire, quod dignior presbyterorum et Clericorum in porta Ecclesiae Archipresbytero porrigat et mi-

nistrat Aspersorium. n. 506 die 4. Julii 1615.

Non teneri Canonicos Archipresbytero porrigere Aspersorium. n. 1544 ad 5 die 16. Sept. 1645.

Non licere Abbati et in defectu Priori Aspersorium Archidiacono porrigere. n. 3024 ad 2 die 24. Julii 1683.

Canonicus major non tenetur in ingressu Ecclesiae tradere Priori Ecclesiae Collegiatae Lucanae aspersorium pro aspergenda aqua benedicta Canonicis, Cappellanis, Clericis aliisque adstantibus. n. 3944 ad 3 die 15. Mart. 1721.

Vd. *Vicarius gen.* (Associatio etc.).

5) Quis defert?

Non licere nec ullo modo licuisse Lateranensi Caeremoniarum Magistro a manibus Acolythorum Vaticanae Basilicae aspersorium recipere, sed per eosdem Diacono Episcopo assistenti esse tradendum in Processionibus s. Marci. n. 3198 die 30. Julii 1689; n. 3215 die 22. Apr. 1690.

ASSISTENS.

1) Abbatum.

Cf. *Usus Pontificalium*.

Prior usum Pontificalium habens, contentus esse debet cum Diacono et Subdiacono missae et uno Capellano cum pluviali assistente. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbates contenti esse debent Diacono et Subdiacono et uno Monacho sive Capellano cum Pluviali, qui assistit ad librum. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Abbatibus Olivetanis licere assistentiam unius Presbyteri. n. 1804 die 17. Mart. 1629.

Licere abbatibus Congreg. Camaldul. quando solemniter celebrant, ut assi-

LUCAN.

Percipientes quam maxime Aeditui ac Beneficiati Eccl. S. Mariae vulgo in Foro Civitatis Lucanae, ut in eadem Ecclesia quoad S. Functiones singula ordinate fiant, S. R. C. humillime rogarunt decerni, utrum in Missis solemnibus, quando vel Canonicus, vel aliqua ex Dignitatibus celebrant, praeter Diaconum et Subdiaconum alter Sacerdos Pluviali indutus valeat assistere? Et S. eadem C. audita relatione a subscripto Secretario facta, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: „Juxta alias decreta admittatur Assistens in Missa solemnibus ubi probari potest consuetudo.“

Atque ita rescripsit. Die 17. Jun. 1843. n. 4970.

DREPANITAN.

In Ordinariis S. R. Comitibus superiori anno 1846 X. Kal. Jun. habitis relatae quum fuerint preces Archipresbyteri et Canonicorum Colleg. Eccl. S. Petri in Civitate Drepanitana erectae, quibus exponebant, eximmemorabili consuetudine Colleg. ipsa in Eccl. Archipresbyterum vel alterum Canonicum solemniter celebrantem, praeter Diaconum et Subdiaconum adhibere solere Presbyterum assistentem Pluviali indutum, ac proinde enixe rogabant, ut consuetudinem hujusmodi confirmare dignaretur: placuit Emis. et Rmis P. S. tuendis Ritibus praepositis nil in re decernere, quin Rmi. Ep. Votum exquireretur, ac proinde rescriptum fuit: „Episcopo pro informatione, qui audito Capitulo in scriptis doceat super asserta consuetudine.“ S. C. mandatis religiosissime obsequens Ep. in scriptis et voce audito Capitulo, ac rebus mature perpensis, S. C. certiore reddidit, se nunquam de tali formalem, vel utcumque protulisse sententiam, verum ad calcem direc-

stentia unius Presbyteri. n. 956 die 21. Aug. 1632.

2) Canonicorum.

Vd. *Biretum* (quis tenet.); *Assistens Dign.* (decr. n. 4079); *Usus Pontifical.* (praecipue decr. n. 4622 nota).

Canonicos Ecclesiae Mantuanae ex immemorabili consuetudine solitos esse, praeter Diaconum et Subdiaconum unum Cappellanum assistentem cum pluviali habere, quam assistentiam Liber Caeremon. solis *Praelatis* non Canonicis concedit. Quid faciendum? S. R. C. resp.: Librum Caeremon. in praemissis non obstat. n. 243 die 19. Jun. 1604.

Canonicis tam in Cathedrali quam extra missam cantantibus tolerari non potest assistens cum Pluviali. n. 3597 ad 14 die 10. Sept. 1701; n. 4978 ad 2 die 7. Dec. 1844.

Canonicis Cathedralis Bituntinae sol. celebrantibus non debetur assistentia per Praefectum caeremoniar. sed ea praestanda est per chori magistros. n. 4064 ad 19 die 31. Aug. 1737.

Cum Canonici et Capitulum Cathedral. Certanen. ex usu et consuetudine approbata sub dieb. 19. Junii 1602 et 1604 (Vd. decr. n. 243) missam sol. celebraverint in Cathedrali et in Ecclesiis s. Margaritae Ordin. Minorum et s. Antonii abb. Ord. Servorum cum presbytero assist. pluviali induto, petunt dictum presbyterum etiam in Ecclesiis Monial., aliisque civitatis et Dioecesis. S. C. Oratorum instantiae juxta petita benigne annuit n. 4111 die 29. Maii 1741.

Dignitates et Canonici Colleg. Aloanae sol. celebrantes uti possunt presbytero assistente. n. 4189 ad 1 die 4. Mart. 1747.

In Colleg. civitatis Baren. Canonico sol. celebranti non licet assumere Beneficiatum, qui Officium Presbyteri assist. cum pluviali peragit palmatoriam deferendo. n. 4863 ad 1 die 3. Aug. 1839.